SALVTIS CVIQVE SVAE CERTA SVNT inditia.

QVòd tua, ſūme Deus, ſit cognita certa voluntas
In mœſtos homines curiſq; ingentibus ægros,
Quas tibi, chare pater, mira dulcedine læti,
Reddamus grates? quo te celebremus honore?
Papicolæ contrà miſera formidine triſtes,
Turbatique, novis ſervari ritibus optant.
Si Chriſtum norint, nihil eſt, quod plura requirant,
Si cœlum ſpectent, nihil eſt, quod propria laudent.
Sed nimis ô ſtultè audaces qui debita poſcunt
Regna ſuis meritis: In aquis fundamina ponunt,
Cùm bona quæ faciunt opera imperfecta relinquāt.
Quid veró figmenta virûm, quæ plurima fando
Enumerare valent, mereantur ut aſtra, valebunt?
Iam quid eis adeò miramur inertia corda,
Et tremfeacta dari? quibus omnia plena tenebris
Terrificis, nihil eſt quod languida pectora firmet.
Nunc huc, nunc illuc, conantes plurima, fruſtra
Errant, atq; horrent cæca regione viarum.
Nil ſolidi retinent, rebus quod reſtet egenis.
At nobis animus præſens & fortia corda
In Chriſto. Spes ô hominum fidiſſima Chriſte
(Namq; aliud quid ſit fixum quod ſtare putemus?
Atq; alia humanis quæ ſit fiducia rebus?)
Chriſte ſator, ſoterq; hominum, quo ſoſpite nunquā
Res equidem noſtras ſuperari poſſe fatebor,
Te duce longinquos cœlos ſpes firma videndi,
Et charos fratres, exoptatumq; parentem.
Hic amor, hæc patria eſt, hoc nobis omne leuamen.
Nunc cur quiſq; ſibi promittat talia, quæris?
Eſt patris arcanum, quo nos præſciuit, abyſſus
Alta, ſed in ſpeculo datur illud cernere Chriſto,
Qui veniens (neq; enim venit is virtutis inanis)
Nos virtute facit fratremq; patremq; referre.
Hos ego, non dubiis poſſis ut noſcere ſignis,
Commonſtrabo gradus. Primùm ſejungit ovile
A mundo, queat ut ſibi ſanctificare, prophano:
Deinde Deus vitæ myſteria magna repandit,
Poſt oculos aperit, nova deniq; pectora format.
Nunc demum audemus certam ſperare ſalutem, &
Solvere corde metum, cùm primùm corda refingit,
Et ſenſus imos præſenti pignore firmat
Spiritus ipſe, Dei longum teſtatus amorem
Spiritibus noſtris. Iam ſpes immota quietis,
Iam jam cœleſtes ſerpunt in viſcera flammæ,
Quas Deus intus alit, divini ſigna favoris
Exhilerant, claréq; micans lux ſuſcitat alma
Ad benefacta, velut ſol aureus excitat acrem
Et vocat exoriens opera ad fabrilia fabrum.
Hæc ſpes, venturi hæc ævi melioris origo,
Si te, ſi Dominum ſpectes, ſi denique fratres.
Pars tibi pacis erit, ſi mens tibi conſcia recti
Luctanti contra peccatum, dæmona, mundum:
Pars tibi pacis erit, Dominum ſi corde uereris,
Si tibi chara Dei præ cunctis gloria rebus:
Pars tibi pacis erit, ſi fratres ſemper amore,
Semper honore coles, ſicut te diligis ipſum.
Iam tu ne dubites bene geſtis præmia rebus
Expectare, dabit fateor Deus omnia gratis:
Munera certa manent tamen & ſine fine manebunt.

MAGICI, SIVE NOCEANT, SIVE IVVENT, VERBO Dei notantur, & damnantur.

ERgone jam magici poſſunt reperire patronos?
Iamne licet tali credulitate capi?
Nec gaudemus adhuc ſat claro lumine verbi?
Nec ſat adhuc ſerpens cognitus ille vetus?
Scilicet hiſce modis proſunt mortalibus ægris,
Sed metus hos cogit ſomnia vana loqui.
Demens, qui credit ſe tot miracula rerum
Edere. Deliras fallit imago ſenes.
Quid vetulæ poſſunt in nos committere tantum?
Quidue melancholicæ commeruiſtis anus?
Talibus, ô miſeri quæ tanta licentia ciues,
Creditis horrendum vos minuiſſe ſcelus?
Anne parum eſt animam fragili pro corpore? cælum
His pro terrenis vendere velle parum?
Anne parum eſt pretium contemnere grande ſalutis?
Atq; jugo Satanæ ſubdere colla parum?
Anne parum eſt numen lædi nomenq; Iehovæ?
Et nulla tangi relligione parum?
Iſta pios pudeat defendere, cùm pudet ipſos
Artifices ſciri facta pudenda ſua.
Nam tenebras quærunt tenebrarum principe digni,
Principe ſubiectis conveniente ſuis.
Se dare dæmonibus quàm deſtabile diris?
Sed dare tabifici ſe voluere magi.
Spernere baptiſmum ſcelus execrabile ſacrum,
Hoc quoq; peſtiferi ſuſtinuere magi.
Deniq;, quæ nobis dat jura ſacerrima Chriſtus,
Cuncta negant: Satanæ regna vigere volunt.
Si nece dignus erit ſimulachrum quiſquis adorat,
Sollicitatq; ſuos impia facta ſequi:
Qua nece dignus, init qui cum cacodæmone fœdus,
Sollicitatq; ſuos damna nefanda pati?
Debita pœna quidem juranti vana, ſed hoſti
Tam malè blaſphemo quæ ſatis eſſe poteſt?
An quicquam nobis grauius ſit crimine tali?
Et dubitamus adhuc fas cruciare magos?
Et quæremus adhuc nobis bona noſtra? nec ulla
Eſt Domini noſtri cura, nec ulla Dei?
Hinc verò bona quæ? quamvis ſi certa darentur,
Vt bona proveniant, non facienda mala.
Sæpe quidem falſum veri ſub imagine, ſæpe
Noxia ſub ficta commoditate latent.
Dona dabunt hoſtes, non ſunt ea dona fruenti:
Quæ ſpecioſa vides, ne pretioſa putes.
Fac metuas Danais plus dæmona dona ferentem
Tam poſſeſſori pernicioſa ſuo.
Mille nocendi artes: an dæmonis ulla putabis
Dona carere dolis? Cùm juvat hoſtis, obeſt.
Hoſtis is eſt homini, primaq; ab origine mundi
Bella dolis & vi, bella cruenta gerit.
Carmine ferali verbiſq; precantibus hoſtem
Qui colit, hoſtili ludificatur ope.
Sacra docet ſcriptura (ſacram quis dicere falſam
Audeat?) eſt magicos perdere morte pium.
Ipſe Deus juſſit (quid poſtulet amplius ullus?)
Iuſſa ſalutiferi non violanda Dei.
Vt Deus avertat peſtem, ut benedicere poſſit,
Lætenturq; boni, contineaſq; malos:
Hi pereant, illi creſcant: dum fœdera jungunt,
Et ſine tabe ſalus, & ſine labe fides.

BRITISH 9 DE 75 MUSEUM

CANTEBRIGIÆ. 1586. Iulij. 4.